

CASUS NOTATU DIGNISSIMUS
PARTUS PROTRACTI

ADIECTIS NONNULLIS ANNOTATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

**ALMA UNIVERSITATE LITTERARIA
TURICENSI**

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV IANUARIJ ANNI MDCCCXXXV

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

OTHO GODOFRED. EBERHARDUS URICH

ODENWALDINO-ERBACENSIS.

TURICI

TYPIS ORELLIJ, FUESSLINI ET SOCIORUM

MDCCCXXXV.

PARTUS PROTRACTI

Die allgemeine Kraft alles dessen, was da lebt, zu und in welcher sich keine Einheit denken lässt, die heilige Kraft, ohne welche nichts wird, und nichts vergeht, wer wird in der gebärenden Natur sie aussprechen, oder in Hypothesen nach Linien schätzen?

Boër,

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO CAROLO NAEGELE

PHIOLS. MED. AC CHIR. DOCTORI, MAGNO DUCI BADARUM
A CONSIL. INTIM. PRAEFECTO ORD. LEON. ZAHRING, MED.
PROF. PUBL. ORD., LECHODOCHII PRAEPOSITO, SOCIET.
NATUR. CURIOSOR. WETTERAVIENS., CAESAR. MEDICOR.
VILNENS., HIST. NAT. AC MED. HEIDELBERGENS., REG.
DANICAE MEDIC. HAVNIENS., MEDIC. CHIR. BEROLINENS.,
CAESAR. UNIVERS. VILNENS., SOCIET. HIST. NAT. AC
MED. BONNENS., SOCIET. MED. PHILADELPH., NEW-YORK.,
SUEC., ETC. SOCIO.

**DE UNIVERSA ARTE MEDICA, INPRIMIS OB-
STETRICIA MERITISSIMO**

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

FAUTORI SUMME REVERENDO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

**SUMMAE VENERATIONIS GRATISSIMIQUE ANIMI TESTEM
OBSERVANTISSIME**

D. D. D.

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Partus, cuius historia paulo infra refertur, autumnno anni 1832 in lechodochio Heidelbergensi accidit. Qui quum statim primis, quibus incipiebat, diebus animum meum mire caperet, singula ea, quae per XXI dierum, quos perdurabat, spatium memorabilia evenirent, deinceps quam accuratissime conscribendi consilium cepi. Conscripta vero foras edendi ne cogitatio quidem animum subiit. Quodsi enim putassem, fieri illud unquam posse, in enarratione componenda diligentius, in singulis rebus describendis accuratius versatus essem, et omnino ad alia quoque nonnulla animum magis advertissem. Quamquam vero haec non ita sunt, tamen nihil omnino, quod ad rem proprie pertineat et ad accuratiorem totius partus decursus imaginem adumbrandam, denique ad causas et momenta abnormitatum in illo partu

conspicuarum recte cognoscenda facere possit, omissum a me esse arbitror. Imo haud dubie ea inde virtus huic historiae enata est, quod, simpliciter et inornate composita, vera ubique et fide digna refert. Ut vero partus decursum per otium observare possem, eo factum est, quod ipsa parturiens in classe pecuniam solventium erat, ideoque non a frequente medicinae candidatorum multitudine visitabatur et observabatur, sed ipsius Directoris curae tradita erat, ita, ut praeter illum et obstetricem lechodochii solus adiutor eam viserem et curarem.

Iam casus ille parturitionis verae tres hebdomades durantis tanti momenti esse mihi visus est, ut medicos vix diutius latere queat. Quem igitur eo magis, bona venia Viri doctissimi et experientissimi, Professoris Naegele, dissertationis inauguralis mihi scribendae argumentum eligere posse mihi videor, quod similem in annalibus artis obstetriciae non reperi, nec singulae partuum historiae, quae huc referri possint, re penitus perspecta, in eodem cum illo partu loco poni debent. Quod quidem praecipue valet de illa morbi historia, quam Dr. Mombert in „Mittheilungen aus meinem ärztlichen Tagebuche“ in

lucem edidit (cf. Kleinerts allgemeines Repertorium der gesammten deutschen medicinisch-chirurgischen Journalistik, 5r Jahrgang, 5s Heft). Pathica phaenomena, in hoc casu in sphaera genitalium et in foetu observata, nequaquam digna esse mihi videntur, quae nomine „Sechswöchentliche Geburtsarbeit“ insigniantur. Quo maiores gratias ei agerem, qui paris partus historiam, in annalibus obstetriciis enarratam quidem, mihi vero adhuc incognitam, afferret.

Quae partus narrationem sequitur, epicrisis adiunctaeque ei annotationes a me ipso profectae sunt. Qua in re utrum et quatenus recta et vera dixerim; utrum imprimis praeceptor maxime venerabilis, Prof. Naegele, quocum de ea re nunquam collocutus sum, de causis proximis memorabilis illius partus protracti et de pathicis, quae in eo exstiterant, symptomatibus mecum consentiat, nunc quidem in medio mihi est relinquendum. Opinione vero praeiudicata me nequaquam ductum argumentum totum tractavisse, singula quaeque ponderavisse, diligenter examinavisse et quam accuratissime comparavisse, attentum lectorem non fugiet. Adiectas annotationes quamvis libenter quidem multiplicassem, explicationes latius exten-

dissem, denique, quam ab initio mihi proposueram, accuratae rei tractandae rationi, pluribus auctoribus legendis ac conferendis cumulatius, satisfecissem, tamen temporis spatio ad rem perficiendam concesso nimis brevi, laboribus multis et negotiis mihi medicum, medicina exercenda acriter occupatum, adiuvanti subeundis, magnis denique proposito obiectis impedimentis, praesertim omnium paene literariorum subsidiorum inopia ab illo argumenti accuratius tractandi consilio abstinere coactus eram. Ceterum non possum, quin viro doctissimo et clarissimo, Professori Spoendli, pro ea, qua bibliothecae suae potestatem mihi fecit, munificentia et benignitate, gratias agam quam possum maximas; qua in re id valde doleo, quod mihi paulo longius a Turico habitanti multum inde fructum capere non licebat. — Gratissimo denique et laetissimo animo semper recordabor lechodochii Heidelbergensis et viri, qui huic praeest, clarissimi, Professoris Naegele, praeceptoris summe reverendi. Ibi enim per duos annos et sex menses naturae mysteria inter parturitionem et mutationes muliebris organismi inter graviditatem et puerperium quam diligentissime observare mihi licebat; ibi a praeclaro praeceptore ducto mihi munus

et principia iustae artis obstetriciae bene cognoscendi copia fiebat; quae quidem principia, quoniam una solummodo veritas esse potest, omnino cum illis congruunt, quae Cl. Boër, Wigand alique viri artis obstetriciae peritissimi immortalibus suis operibus constituerunt. Per biennium, quo Naegele, paterna sane benevolentia, adiutoris in lechodochio munus mihi credebat, variae occasiones mihi offerebantur, illa principia cognoscendi, examinandi et rectam eorum rationem intelligendi. Nullius auctoritatem temere sequens et gravitatem artis intelligens, cuius studium magis, quam aliarum medicinae partium mihi semper placebat, tunc nullum laborem fugiebam, ut vel commodis et iucunditatibus vitae neglectis, et sine aliquo sanitatis meae periculo, et physiologicas et pathologicas leges processus partus pro viribus meis investigarem, et his legibus cognitis ipsius artis, theoria et experientia probatae, fundamenta iacerem. Ita eo pervenisse me puto, ut prospectus certe in illam viam mihi pateat, qua, ut W. I. Schmittii verbis utar, „wir in das gelobte Land der ächten Kunst gelangen“, qua natura in exercendis viribus suis salubribus non impedita, multa secreta nobis aperit ei

occulta, qui a rerum natura perscrutanda alienus, artem obstetriciam nonnisi vi Herculeae et instrumentis admotis exercet. Diligens rerum a natura patefactarum observatio et diuturna cum praeclarissimo praeceptore meo consuetudo me edocuerunt, verissima esse, quae, quoad Eutocias, dicit May: „Ueberhaupt sollte man bei ganz regelmässigen Geburten mehr Zuschauer, mehr Anbeter der Allmacht, mehr freundschaftlicher Tröster, als strenger Gebieter und künstelnder Helfer oder gar ungeduldiger Zwingherr sein“ *) — quoad vero Dystocias his Wigandii verbis plane adstipulandum esse: „Die Hülfquellen der gütigen Natur sind über allen Glauben gross, und, ihr sey diess herzlich gedankt! nicht selten von der Unermesslichkeit, dass selbst die grösste Dummheit, Voreiligkeit und Tollkühnheit der Menschen sie nicht zu erschöpfen im Stande sind.“ **) — Hand in Hand, auf freundschaftlichem, respektvollem, sich gleichsam gegenseitig berathendem Fusse, sollen wir — mit dem Uterus umgehen, wenn unser Geburtsbeistand eine wahre, ächte

*) Stolpertus, ein junger Arzt am Krankenbette. Bd. V, p. 220.

**) Die Geburt des Menschen. Bd. I. p. 125.

„Geburtshülfe sein soll, und wir selbst keine
 „blossen Geburtsassistenten oder Zwinger,
 „sondern wirkliche Geburtshelfer sein und alles
 „mit Glück und Segen beenden wollen.“ *) —
 Omnino illud lechodochium Heidelbergense insti-
 tutum obstetricium tale esse cognovi, in quo „eine
 „sichtliche Tendenz zur ungebührlichen Kunstge-
 „schäftigkeit“ non deprehenditur, et ad quod iure
 meritoque cetera W. I. Schmittii verba referri
 possunt: „Wahre, von Einseitigkeit jeder Art
 „freie Geburtshelfer, welche die Kräfte und Rechte
 „der Natur zu würdigen verstehen, können nur
 „durch langes, aufmerksames und vorurtheilfreies
 „Beobachten der in ihrer Spontaneität beim Ge-
 „bären nicht gestörten Natur gebildet werden,
 „folglich nur in grossen Gebäranstalten, wo die
 „Geburtsfälle nicht zu Dutzenden, sondern zu
 „Hundertern und Tausenden im Jahre vorkommen,
 „und denen ein Mann als Lehrer vorsteht, dem
 „es eben so sehr darum zu thun ist, den Schü-
 „lern zu zeigen, was die Natur, als was die
 „Kunst vermag.“ **) — Utinam Deo omnipotenti

*) I. c. Bd. I. p. 302.

**) Über obstetricische Kunst und Künstelei. Aus Siebolds

placeat, diu illam Lucinae sacram aedem tueri,
ac Virum clarissimum, Professore Naegele, per
multos annos salvum conservare, ut ille etiam
posteritatis saluti prospicere possit!

Journal für Geburtshülfe etc. 2ten Bds. 1stem Stücke beson-
ders abgedruckt. Frankfurt am Main 1816. p. 106. f.

SECTIO PRIOR.

HISTORIA PARTUS.

Carolina F..., ex E... vico in regno Würtembergensi sito, oriunda, viginti octo annos nata, tenera et debili corporis constitutione, mediocri statura, crinibus e fusco flavescentibus, oculis caeruleis, cute molli et pallida, temperamento melancholico, a prima inde aetate se bene valuisse dicebat. Ineunte decimo tertio aetatis anno primam subiit menstruationem, quae autem vicesimo demum aetatis anno transacto certam, qua quarta quaque hebdomade rediret, regulam sequebatur. Tertio abhinc anno quum primum gravis facta esset, inter graviditatem et haemorrhoidibus, saepe sanguine ex ano profluente, et congestionibus versus pectus caputque laborabat, ad quas quidem removendas itentidem venaesectiones factae sunt. Ad illa mala aliquot diebus ante partum accesserunt convulsiones pluries repetitae, ex descriptione hystericae, quarum antea ne vestigium quidem ullum apparuerat. Ille quidem ipse partus quamquam legitimo graviditatis fine Pforzhemii in magno ducatu Badensi instabat, tamen artem poposcit, ita, ut post quinque demum dierum parturitionem difficilem per versionem et instrumentis admotis foetus putrescens membratim in lucem ederetur. Neque vero ex hisce omnibus rebus incommoda postea ulla ipsi matri nata sunt, quamquam per plures dehinc annos menstruatio cessabat.

Catamenia enim postquam triennium cessaverant, in altera graviditate redierunt. Mulier XIV. die Februarii huius anni se concepisse, suamque inde graviditatem iisdem signis, quibus priorem graviditatem in sensu communi animadverterit, intellexisse certissime fide asseverat. Octavo ante paschalia die, sive in nona hebdomade huius alterius graviditatis menstruum denuo apparuit, quod quater deinceps tertia quaque hebdomade copiose repetebatur; ipse quoque haemorrhoidalis fluxus haud exiguus, saepius simul epistaxis et sanguinis e gingiva stillicidium exstiterant. Ad congestiones autem ad caput et pectus tollendas aliquot venaesectiones institutae sunt. Alvus saepe per plures dies obstricta erat. Saepenumero gravida doloribus spasticis in alvo magnopere excruciabatur. Sub dimidiam graviditatem primos foetus motus sensit, qui postea leviores et rariores in sinistro latere percipiebantur. Mammae, prius plenae ac turgidae, mox laxae et flaccae redditae sunt. Gravidae saepe, quando situm in lecto mutaret, in dextrum sinistrumve abdominis latus grave corpus cadere videbatur. Simul totum eius corpus languidius et debilius erat, faciesque, antea florens brevi pallescebat. ¹⁾

1) Ut ea, quae adhuc dicta sunt, recte iudicentur, admonendum est, in iis, quae mulier ista praeclaris ingenii dotibus nequaquam praedita, protulerit, tot incerta et sibi repugnantia, interdum etiam incredibilia et inepta inesse, ut illius anamnesis auctoritas et pretium haud paulo minuatur. Sic priorem suum partum illa horrendis verbis describebat et, quaecunque contra eam disputarentur, repudians, foetum tunc non „in dem Frauenleib” quo nomine appellabat uterum, sed in cervicibus, unde deductus et per ani orificium membratim extractus sit, situm fuisse contendebat. Nunc quoque se magnopere timere dictitabat, ne in hac altera graviditate eadem incommoda rediret et ipsa nonnisi ea, qua

Novissimo tempore de fixo et urente dolore in dextro superioris uteri quadrantis latere mulier querebatur, qui nonnunquam utramque etiam regionem inguinalem invadebat et premendo augebatur. Iam ex quo tempore illa in aedibus obstetriciis versabatur, pluries per aliquot hebdomades spasticae molestiae eo usque ad-auctae et, ut videbatur, ita cum partialibus uteri contractionibus coniunctae erant, ut facile aliquis eo per-ducere posset, ut illas dolores ad partum esse crederet. Sed rem non ita esse nec partum vere incepisse, tam interna exploratione, quam eo cognitum est, quod illi vehementiores dolores paulatim iterum evanescebant. Quodsi vero quis crediderit, illius rei causas fortasse in organico uteri vitio sitas esse potuisse, cuius quidem vitii partus ante tres annos factus ansam praeberit, is sane hanc sententiam defendere vix queat, quoniam neque in portione vaginali, neque in ullo alio loco uteri, cuius extensio mediocris et aequalis per abdominis tegumenta tangi poterat, ulla abnormitas observabatur.

Quum XIV. die Februarii mulier concepisset, partus in XXI. diem Novembris cadere debuisset. Iam vero XXVIII. die Octobris sub vesperam cuncta incipientis partus signa prodierunt. Exstiterunt enim in abdomine et in ossis sacri regione dolores periodice redeuntes, qua in re uterus nunc contractus et solidior fiebat, nunc mollior et talis, qualis in priore suo ambitu et situ tactus fuerat. Vaginae vero exploratio quum institueretur, illius quidem temperatura aucta apparuit, et muci secretio copiosior. Ipsam quoque uteri labia affatim muci secernebant; tumida erant, orificium externum plane, internum autem paulo tantum patefactum; et hoc

antea, ratione corporis onere liberaretur. Neque omnino contigit, ut de ridicula et stulta, qua tenebatur, opinione persuaderetur et metu ac sollicitudine privaretur.

quasi tenaci gleba mucosa oclusum esse videbatur. Canalis cervicis uteri unum digitum longus erat et foetus pars praevia facile mobilis, quae esset, ne cum minima quidem verisimilitudine dignosci poterat.

Dolores sequente nocte quamquam frequentius repetebantur, tamen XXIX. die Octobris orificium uteri vix mutaverant, per quod scilicet nunc foetus caput, nunc parvae partes tactu sentiri videbantur. Eo die dolores rari quidem erant, sed parturientem vehementius exagitabant, quippe quae mox de frigore et horrore, mox de ardore fugace, mox de capitis dolore, mox de pectoris angore querebatur; qua quidem in re pulsus interdum frequentior et minor, interdum tardior et plenior, cutis denique nunc sicca et ardens, nunc humida et solitam temperaturam obtinens observabatur. Simul aegrota semper doloribus violentis et pungentibus in mammis flaccis afficiebatur, qui tangendo augebantur et vel infra mammas inter costas descendebant. Praeterea appetitus nullus ciborum, sed sitis magna aderat. Propter obstructionem, iam per aliquot dies continuam, quae mollientibus clysteriis removeri nequiverat, laxans ex Infus. folior. Sennae cum sale amaro, datum est, cuius primae quidem doses evomebantur, a reliquis autem, praecipue in nocte a XXIX. ad XXX. Octobris diem largissima, ab initio quidem faeculenta, tum mucosa, subviridia excrementa edebantur.

Frequens ad urinam reddendam impulsus, qui una cum urinae excretionem satis magna iam XXVIII. Oct. die exstiterat, XXX. quoque die Oct. continuabat, ita quidem, ut symptomatum pathicorum, supra commemoratorum, variatio et vicissitudo cum doloribus ad partum adessent. Sub meridiem spasmi in musculis faciei et superiorum extremitatum accesserunt, quibus adiungebatur animi defectus, lenis faciei rubor et paulo frequentior magisque parvus pulsus, quae quidem res, aegritudine

et ira mulieris de parte hominum praesentium fortasse, adducta, iam post dimidiam horam, sinapismo in alteram surram applicato, remota est. Non minus celerem opem idem remedium vespere tulit, quum eadem affectio repeteretur.

Debiles ad partum dolores, morbosa affectio et febrilia symptomata effecerunt, ut etiam nocte a XXX. ad XXXI. diem Oct. parcissimi tantum somni esset parturiens. XXXI. die Oct. orificium uteri paulo magis patebat, uteri canalis cervicis adhuc aequae longus, ac antea; labiorum eadem, quae prius, tumida facies. Manifeste nunc quidem caput foetus tangi credebatur, simulque observabatur manus, iuxta illud iacens, cuius digiti circum digitum tangentis sese movebant.

Tempore pomeridiano quum denuo convulsionες exorirentur et capitis temperatura aucta, facies rubore obducta et pulsus satis fortis esset, venaesectio unc. VIII. instituta est sinapismis simul sicuti antea, surris impositis. Ita factum est, ut et symptomata illa celerrime tollerentur, et aegrota per totum postmeridianum tempus admodum se levatam et hilarem sentiret. Attamen illa sub vesperam iterum redierunt, leviora quidem, ut, sinapismo in altero femore imposito, statim cederent.

Variabilia symptomata pathica supra dicta etiam X. die Novembris observata sunt quo die dolores rarissimi et levissimi erant. Parturiens, insomnibus, quas egerat, noctibus, doloribus etc. haud paulo debilitata, sub huius quoque diei vesperam vehementiore impetu convulsivo petita est, cuius nunc quoque nullum adhibebatur remedium, nisi quod magnus sinapismus in altero femore ponebatur, quo facto ille impetus aequae celeriter ac priores, remittebatur. Secundo die Novembr. quum convulsionες intermisissent, tertio redierunt quidem, sed admodum leves et fugaces.

Tribus diebus subsequen-
tibus nulla prorsus essentia-
lis permutatio in statu parturientis animadversa est.
Dolores quidem interdum adeo rari facti sunt, ut per
dimidios dies noctesque cessarent, somnusque inde nunc
brevior nunc longior capi posset. Ceterum morbi sympto-
matum sicuti prius, eadem variatio semper perdurabat;
sitis tantum ardentior et faeces raro deiectae caeque
spissae permanebant.

Sexto quoque Octobris die status nequaquam com-
mutatus et partus vix paululo progressus erat. Portio
vaginalis paene eandem, quam antea, conditionem re-
tinebat, praeterquam, quod tentans digitus facilius per
orificium uteri permeare poterat. Pars foetus prae-
via hoc die dignosci nequibat. Liquor amnii adhuc
nullus profluxerat.

Aegrota, iam vehementer confecta, post noctem ite-
rum insomnem actam minus adeo, quam diebus ante-
cedentibus, lectum relinquere poterat.

Quemadmodum adhuc factum erat, ita porro quoque,
severae diaetae aegrota adstricta est, ut nonnisi iure
carnis elixae, oleribus levibus, pomis, carne recente
et ad digerendum facili, interdum cassea frui ei liceret.
Eo die thea e Rd. Valerian, Fol. Aurantiorum, Sum-
mitat. Milefolii aa data est, quam per plures deinceps
dies aegrota bibebat. Sequenti nocte primum post X dies
illa quiete dormivit, ita, ut postero die vires suas ad-
modum refectas esse sentiret. Quum autem iam ex
pluribus diebus gustus amarus in ore, et ex antece-
dente inde die ructus et vomituritio adesset, ad meri-
diem emeticum, e Tartar. stibiat. gr. j. et pulv. rd.
Ipecacuanhae scrupl. j datum est, quo larga mucosae
et biliosae massae copia evomebatur. Hoc ipso qui-
dem vomitu etsi aegrota adeo affecta erat, ut diutius
admodum fatigata et debilitata esset, tamen miro modo
sub eiusdem diei vesperam bene iterum valebat. Do-

lores quoque ad partum, eo die praecipue post vomitum crebriores, haud ita vehementes erant et praesertim os sacrum et inferiorem pelvis partem occupabant. Motus foetus, plerumque admodum exigui, et iam ex aliquot diebus plane intermissi, tempore postmeridiano et vespertino concitatissimi erant.

Insequente nocte dati emetici vis alia apparuit; existit enim diarrhoea, qua circiter sex tenues multi indigesti cibi evacuationes efficiebantur. Qua in re aegrotata magis somno carebat, quod simul contractionibus crebrioribus, quae similes erant doloribus ad partum, vexabatur, qui postero quoque die perdurabant. Praeterea tempore antemeridiano arteriarum pulsus febriliter citatus, postea vero iterum regularis erat. Sub vespere eodem modo, sicuti primis morbi diebus, aegrotata saepe et copiose urinam exercebat.

Exploratio vaginae, quae vespere instituebatur, haec docuit: labia uteri orificii, prius valde tumida, paene prorsus deterosa erant; orificium ipsum mollius et lentius; sed spatium ab externo ad internum orificium adhuc $\frac{3}{4}$ " erat. Velamenta, integra adhuc, caput foetus, quod nunc quidem aperte praevisum animadvertebatur, circumdabant.

Postera nocte et, qui eam excipiebat, die aegrotata propter dolores os sacrum, abdomen, caput, etc. certis temporis intervallis invadentes, somno frui non potuit.

X. Novembr. Praeterita nocte somnus per plures horas durans aegrotam refecit. Itaque quum iam ex pluribus inde diebus obstructions iterum adessent, et in organis digestionis continuo turbatis inesse cruditates, satis appareret, aegrotata ab eo tempore potum amarum Oesterlenii sumere iussa est ¹⁾. Cuius potus prima

¹⁾ Oesterlenius in „Heidelberg. Klin. Annal. 6r Bd. 2s Heft" de eo disserens, p. 374 haec dicit: „Dieser Bittertrank

dosis, tempore antemeridiano, hora X. sumta, quum nimia esset (fuit enim circiter lb. 1), tempore postmeridiano, praecedente frigore, quod ardor excipiebat, febriliter simul concitato pulsu, diarrhoea existit, qua ad vesperam usque V—VI admodum fluidae, mucosae et faeculentae evacuationes efficiebantur. Inter quas periodici dolores in osse sacro et inferiore ventre repetiti sunt, quorum praeterlapsa nocte vestigium nullum observatum erat. Frequens quoque urinae impetus una cum prementibus et urentibus in vesicae regione doloribus rediit.

XI. Novembr. A prima noctis usque ad quintam horam quietum et continuum somnum aegrota cepit. Mane iterum tres liquidas alvi excretiones habuit; quare tantum $\frac{1}{4}$ lb. potus amari sumebat. Sed quamquam debilem se esse sentiebat, tamen tam bene valebat, ut tempore antemeridiano relinqueret lectum et extra eum ad tertiam usque temporis postmeridiani horam commoraretur. Tum vero pedes frigidi et refrigeratio per totum corpus, ut lectum repeteret, eam coegerunt. Ciborum appetitus eo die melior; molestiae in vesicae regione continuae; vespere nonnulli dolores ad partum.

XII. Novembr. Quatuor praeteritae noctis horae somno quieto, ceterae insomnes sunt transactae. Interdiu sex excretiones aquosae et perpetua proclivitas

wird folgendermassen bereitet:” R. Fol. Sennae el., summit. millefol., summit. centaur. min. ana Unz. $\frac{1}{2}$, Sal. mirab. Gl. Unz. 1, Sem. foenic. Dr. 3 M. Diese Species werden locker in ein Tüchlein gebunden, mit einer halben Mass kochenden Wassers übergossen, die Nacht über zugedeckt stehen gelassen und nach Beschaffenheit der Constitution Morgens nüchtern, oder auch bei solchen, die es nüchtern nicht vertragen können, zwei Stunden nach dem Frühstück, eine halbe bis ganze Tasse voll davon getrunken.

aderat urinae reddendae, satis larga copia semper excernebatur. Simul os sacrum et venter inferior, sicuti saepius iam antea fuerat factum, valde dolabant; quos quidem ad partum dolores revera esse eo patebat, quod inter eos contractiones uteri non solum maiore huius organi induratione sentiri, sed ea quoque, quae tum fiebat, mutatione situs eius cognoscebantur.

Eo die id novi et insoliti accidit, quod aegrota vertigine et congestione ad caput, una cum faciei rubore, marmarigis, aurium susurro corripiebatur, adiunctis simul et anxietate pectoris et respiratione dolente. Quod quidem tum accidit, quum aegrota, e lectulo surrecta, aliquantum iuris carnis elixae, sicuti iam per plures dies fecerat, sumsisset. Ubi vero cubitum redierat et paulo post balneo pedum, irritante sinapi iniecta, usa erat, horis circiter duabus praeterlapsis molestiae istae evanuerunt. Dolor acerrimus et premeus, inferiorem tertiam utriusque femoris partem penetrans, et magna, de qua praeterea aegrota querebatur, pedum debilitas, partim certe inde profecta esse videtur, quod aliquamdiu illa extra lectum versata, inferiores extremitates ambulando nimis exercuerat ac fatigaverat.

Status, quo sequente nocte aegrota versabatur, idem fuit, qui nocte antecedente; nec die insequente aliquid memorabile accidit. Maior pars eius diei extra lectulum transacta, quatuor vel quinque fluidae excretiones continuato potus amari usu effectae sunt. Tempore quidem antemeridiano pauci tantum, postmeridiano autem et praesertim vespere frequentiores iique vehementiores ad partum dolores exstiterunt. Qui in femoribus fuerant dolores tunc paene prorsus desierant.

Tribus quoque sequentibus diebus et noctibus nihil evenit, quod praecipua dignum esset commemoratione.

Verum enim vero multiplices molestiae, inprimis capitis dolores, respiratio anxiosa, urinae excretio copiosa et molesta, foetus motiones interdum dolorem facientes, dolores ad partum nunc rariores et acerbiores, nunc crebriores et leviores, aegrotam omni somno privabant, adeo, ut per omne id tempus vix sex horas dormiret. Quare communis morbi sensus, fatigatio et lassitudo totius corporis magnopere augebatur. Nonnisi perpetuo potus amari usu necessariae alvi excretiones effici poterant; quae, illo intermisso, aut per plures dies cessabant, aut plane condensae erant. Nihilominus aegrota plerumque extra lectum versabatur. Sed progressus partus nulli adhuc erant manifesti.

Nox a XVI ad XVII diem Nov. insomnis et ipsa transiit. Dolores ad partum crebriores quidem, sed leviores, quam prima insequentis diei parte. A prima inde temporis postmeridiana hora et vehementiores et frequentiores facti sunt, semper quidem os sacrum et anteriorem abdominis circa vesicam partem obtinentes. Ad quos tempore antemeridiano dolor capitis, per totum diem molesta, frequens et copiosa urina et pluries etiam pulti similia et liquida excrementa accedebant.

Exploratione interna, quarta hora postmeridiana instituta, labia orificii uteri plane deterosa, lumen vero non multo latius quam antea, uteri canalıs cervicis aliquanto brevior, nempe dimidium circiter digitum longus et inter dolorum initium velamenta, iam per se laxa, vesicae tumidae instar protrusa apparuerunt. Satis aperte simul pes praevius, a foetu alacriter motus, et magis quidem in sinistro aperturae pelvis superioris latere, digitis ad anteriorem et dextram partem versis, observabatur. Conferatur cum hisce exploratio illa VIII. Nov. die facta, p. 2. Acriores usque sub vesperam facti dolores, circiter VIII. horam, sicut

parturiens sentiebat, a vesicae urinariae regione magis etiam sursum, versus fundum uteri, porrigebantur. Qua in re id mirum videbatur, quod et nunc et inter totum diem contractiones uteri non amplius, sicuti antea, quum multo leviores essent, per tegumenta abdominis sentiri et oculis cerni poterant. Mucus permultus, sanguinolentus, e vagina profluebat. Post horam octavam orificium iam circiter plus 1" transverse patebat, satis molle et relaxum, per quod dextra parte alter pes, et sinistra parte manus, ab integris velamentis circumdata, observari posse videbatur.

Inter horam VIII. et IX. paene perpetui erant dolores. Multum humoris tunc e genitalibus aegre edebatur, qui, accuratius inspectus, urina apparebat. — Post horam IX. in orificio velamenta adhuc integra et liquore repleta et inter utrumque pedem, alacriter motum, aliqua pars funiculi umbilicalis animadversa est. Paulo post liquor amnii permultus, inter continuum dolorem profluens, velamentorum rupturam significavit. Exploratio quidem velamenta adhuc in orificio inesse, sed non amplius, sicuti antea, liquore repleta esse docuit. Quamquam in funiculo umbilicali pulsus admodum fortis erat, tamen retardati adhuc partus, debiliū porro et irregularium uteri contractionum et dilatationis ac mollitiei orificii adhuc tam exiguae ratione habita, vix aliqua foetui vitam servandi spes restabat.

Parturiens, quae adhuc plerumque in cubiculo ambulaverat, sub X. horam in lectum se conferre iussa est. Magna semper liquoris copia profluebat; ventris amplitudo aperte minuebatur; dolores ad partum aliquanto rariores; caput quoque dolore parvo afficiebatur. Post dimidiam horae partem vix aliquantulo orificium latius patefactum erat, sed eius labia magis tensa. Pone illud foetus partes iacebant, non diutius

a velamentis tectae; ad dextram funiculus umbilicalis, semper pulsans, ad sinistram alter pes, cuius quidem calx ad dextram et posteriorem, digiti vero ad sinistram et anteriorem partem vergebant. Dolores per totam noctem permanebant et tam frequentes erant, ut vix punctum temporis inter binos dolores interesset. Itaque ab iis aegrotata, iam satis imbecilla, magnopere debilitabatur, cuius rei testimonia erant arteriarum pulsus plenus et acceleratus, aucta siccae cutis temperatura, sensus debilitatis, capitis denique dolor, etsi nunc quidem admodum exiguus. Sed ad ipsum partum accelerandum pauca tantum prospere successerant. Quum enim XVIII. Nov. die sub quartam matutini temporis horam exploratio institueretur, lectus a multo semper profluente liquore totus permadebat; orificium uteri circiter duos digitos dilatatum, eius labia mollissima et tumidiora, quam praeterita vespera; pes praevious in inferiorem orificii partem descenderat. Funiculi umbilicalis ansa, quae in posteriore canalıs cervicis latere paululum ad dextram versus sita erat, pulsus prodere pergebat. Regulares et efficaces aliquot contractiones suffecissent ad partum celeriter finiendum et ad vitae periculum, quo foetus versabatur, magis usque crescens removendum. Sub VIII. horam parturiens libentissime caffeeam bibit; capitis dolores prorsus desierant; ipsa quoque obiectiva debilitatis signa non ita conspicua erant. Quamquam dolores ad partum aequae frequentes, atque antea, exstiterant, tamen exploratione sub horam nonam facta, rem nondum aliter sese habere, quam ante quinque horas, compertum est. Quum vero undecima et dimidia hora, perdurantibus doloribus, status nulla mutatio intercessisset et ab intensiva vi uteri contractionum prosper successus sperari posse videretur, $\frac{1}{2}$ scrup. pulv. secal. cornut. in iure carnis elixae praebitum est, quae dosis post dimidiam horam

iterum dabatur. Nec frustra; nam statim contractiones uteri continuas deinceps sequebantur, quibuscum dolores in osse sacro et ventre infimo, praecipue in regione vesicae urinariae, parturientem admodum excruciantes, coniuncti erant. Quae quidem contractiones perpetuae erant, interdum vero vehementiores, quod in fundo et in inferiore segmento uteri tangenti clarius apparebat. Portio vaginalis, eiusque inprimis posterius segmentum hoc toto tempore admodum spastica tensione occupabatur; qua in re praevius quidem adhuc pes, non vero funiculus umbilicalis digito tentanti offerebatur.

Non ita multo post ultimam dosin secalis cornuti quum parturiens, ob tenesmum, non satis vestibus tecta, e lectulo resurrexisset, frigoris sensus exortus est, dimidiam horam permanens, etsi ipsum corpus nequaquam refrigeratum tangebatur. Mox sequebatur ardor auctus, addito citato pulsu, faciei rubore, siti, cutis exhalatione. Caput non dolebat.

Ad secundam temporis postmeridiani horam usque contractiones, secali cornuto effectae, perdurabant; ex eo inde demum tempore singulis iisque minimis temporis intervallis illae intermittebant; attamen eae contractiones, quae in uteri fundo conspici et tangi poterant, magis, quam dolores in osse sacro et in vesicae regione cessabant. Tum quidem os minimo tantum latius factum nec amplius spastice tensum erat; pedi prior situs et funiculo umbilicali pulsatio immutata remanserat. Simul adhuc velamenta inter os uteri et partes foetus apparuerunt.

Quae quum ita essent, secale cornutum nihil plane in hoc casu ad partus successum contulisse apparebat. Itaque, quales eius adhuc vires et effectus exstiterant, nequaquam ii usum eius continuandum suadebant. Nam vel non respecto prolapso funiculo umbilicali, timen-

dum omnino erat, ne, contractionibus uteri continuis, et quae inde pendeat, difficili et impedita sanguinis circulatione in utero et placenta, in summum vitae discrimen foetus adduceretur. Quum frequenter, sed frustra, alvum reddere parturiens cogeretur, sub quartam horam clyisma immissum est, quo alvi excretio satis evocabatur. Inter ipsam excretionem imbecillitate animi defectioni haud dissimili, affecta est, ita tamen, ut mens, aliquantisper sui non compos, mox rediret. Iam igitur, brevissimo interiecto tempore, illa vires recuperavit. Tunc vero singula breviora temporis spatia intercedebant, quibus aut nulli dolores, aut, si qui exstitissent, tales erant, ut non amplius circum regionem vesicae urinariae, sed in fundo uteri et in osse sacro apparerent. Paulo post uterque pes foetus in orificio uteri repertus est, quo impediabatur, quominus funiculus umbilicalis, qui, sicuti videbatur, pone ipsos pedes, verisimiliter in cavatione ossis sacri vel iuxta promontorium, situs erat, attingi posset.

Circiter quintam horam parturiens in balneum tepidum se contulit, in quo tam bene se habebat, ut unius et dimidia horae in eo commoratio libenter ei concederetur. Et inter et post huius balnei usum, quum universalis et calida cutis exhalatio exstitisset, dolores regularibus et legitimis intervallis pergebant.

Exploratione, sub $7\frac{1}{4}$ horam post aliquot praeteritos acerbos dolores instituta, orificium uteri apparuit plus quam 2'' patefactum; uterque pes paulo inferius in illud delapsus, sinistri quidem calce ad dextram et posteriorem, et digitis ad sinistram et anteriorem partem spectantibus; dexter vero pes ita sinistro superimpositus, ut eius calx ad posteriorem et paulo ad sinistram regionem vergeret, et digiti utriusque pedis sese contingerent. Iamiam ansa funiculi umbilicalis denuo comparuit, sita quidem inter pedes, sed, pulsa-

tione plane privata. Caeterum partes foetus praeviae adhuc velamentis circumclusae erant.

Dolores, vehementiores usque ac magis regulares parturiens vix tolerare poterat. Itaque quum illam tandem a longis malis liberari, par et aequum esse videretur, et orificium uteri satis dilatatum esset, partum arte iuvandum esse placuit. Quod quidem ita factum est, ut, quoniam foetus iampridem emortui ratio haberi nequiret, ipsi matri quam maxime parceretur. Itaque sub horam septimam et dimidiam pedes paulatim in vaginam deduxi, ita, ut ante rimam pudendorum ponerentur. Eorum calces sursum et ad dextram, digiti deorsum et ad sinistrum spectabant. Iam plures vehementiores dolores quum exspectassem, adiuvantibus iis foetum ultra extrahere conatus sum. Paulatim, inferioribus extremitatibus extractis, podex e pudendis prodiit. Funiculus umbilicalis, inter femora permeans, solita ratione facile solutus est. Iam dolores cessabant. Itaque quum meridie specifica secalis cornuti in uterum vires satis dilucide et manifeste essent perspectae, et inde sperari posset, fore, ut idem, quod antea, nunc quoque ab eo efficeretur, circiter horam octavam 1 sepl. eiusdem praeparati praebui. Sed frustra; etenim ne minimus quidem inde effectus observatus est, uteri contractionibus nec auctis, nec vehementioribus redditis. — Quum foetus iam supra nates editus esset, compressione intestinorum abdominis, effecta a labiis pudendorum, a vagina etc. haud parva meconii copia per anum evacuata est. — Quemadmodum extremitates inferiores et podex, ita totus quoque truncus dextro et obliquo quidem diametro per pelvim ductus est, tergo foetus sursum et ad dextram converso. Manus una cum thorace, in cuius latere sitae erant, compa-ruerunt. Quarta fere horae parte praeterlapsa, quum nato trunco, dolores desinissent, contigit, ut capul, cu-

ius facies ab initio versus sinistram et paulo ad anteriorem partem vergebat, e pelvi promoveretur, ea quidem ratione, ut, dextra manu immissa, ita duceretur, ut facies ad regionem sinistrae Symphysis sacro-iliacae spectaret. Ita tandem partus, inter quem a manibus adiuvantibus epidermis in pluribus pedum locis dissoluta erat, sub horam octavam et dimidiam finitus est.

Ipsa puerpera, quamvis permultas sane inter tam diuturnum partum molestias atque incommoda perpessa esset, non admodum debilitata erat. Editio foetu uterus ad regularem magnitudinem se contraxit. Hora una praeterita, quum plures dolentes uteri contractiones ad secundas expellendas exortae essent et ipsae secundinae usque in orificium uteri adeoque partim in vaginam descendisse observatum esset, inde exemptae sunt. Qua in re sanguinis copia perexigua profluxit. Puerperium iusta ratione transactum est, praeterquam quod solito largior et diutius permanens erat fluxus lochiorum. Foetus, cuius membra iustam proportionem habebant, optime nutritus erat. Caeterum omnia mortis, a pressione funiculi umbilicalis illatae, signa prodebat. Cadaver 6 lb 12 Loth (ponderis civilis); funiculus umbilicalis, gelatina abundans, 26" longus fuit.

SECTIO POSTERIOR.

ANNOTATIONES NONNULLAE AD PARTUS HISTORIAM MODO RELATAM.

Vix operae pretium erit contra eos perpauca disputare, qui partus historiae modo enarratae fidem in dubium vocare, vel rerum in illo partu observatarum veritatem contemtim negare conentur. Qui enim praeclarissimi praeceptoris mei integritatem ac veritatis amorem novit, nunquam is crediderit, ea consulto false esse relata, quae multis abhinc annis e lechodochio Heidelbergensi nonnunquam prodierunt. Iam ipsius Viri praeclarissimi, Naegelii, doctrinae laus, auctoritas, quae multum ille valet apud eos, qui et ipsi artem obstetriciam callent, religio eius praecipua, cura et subtilitas singularis, observandi denique facultas, ubique cognita, eos lectores, qui insolitam quamque in arte obstetricia observationem promulgatam, cum ipsorum theoria et cognitione non satis congruam, cunctanter ac suspiciose reiicere solent, permovebit, ut caute in hac re iudicanda versentur. Eos vero viros doctos, qui has paucas paginas lectu dignas habeant, seque, a necessario illo scepticismo, literarum studia magis usque adiuvente ac veritatem confirmante ductos, ea, quae in illis communicata sunt, severo eodemque integro iudicio accuratius examinare debere putent, ut ad paucas, quae sequuntur, annotationes animum advertant, vehementer rogatos habeo. Quicumque medicus vel per breve tempus exercenda arte obstetricia occupatus fuerit, id,

quod in omnibus huius artis compendiis admonetur, verum esse putabit, existere posse in muliere gravida varias abdominis organorum turbationes, quae non a gravida solum pro veris ad partum doloribus haberi, sed ab ipso medico appropinquantis et iamiam incepti partus signa duci possint. Quas quidem turbationes praesertim sub finem graviditatis oriri, iterum evanescere, et pluries redire posse, vix est, quod commemoretur. Id ipsum igitur gravidæ, de qua nos dicimus, accidit. Quo magis aliquis moveri possit, ut illos, qui prius iam pluries partus initium significare videbantur, dolores sub vesperam XXVIII. diei Octobr. denuo et maiore quidem, quam prius, intensivitate ortos esse et sequentibus diebus et hebdomadibus frequentiores et vehementiores apparuisse in animum inducat. Cui quidem sententiae maior accederet verisimilitudo, si nosmet ipsi prompti essemus concedere, novissimo graviditatis tempore non raro uteri contractiones manifestas observari, quamvis eae pro veris ad partus doloribus haberi nequeant; quae quidem res solita ac regularis apparet praecipue in iis, quae primum conceperunt ¹⁾; utpote quae praesertim sub vesperam ab illis affici, sed nocturna quiete liberari soleant. Illos utique dolores, quibus tempore supra dicto gravida laborabat, veros fuisse ad partum dolores, id ei extemplo persuaderi debebat, qui vel perpaucis partubus interfuerat. Quorum enim quum sedes, vehementia, et periodicus reditus, uteri manifestissima maior durities, eiusque inter unamquamque contractionem aperta situs vicissitudo, tum mutatio,

1) Cfr. Dr. Justus Heinrich Wigand, die Geburt des Menschen, in physiologisch-diätetischer und pathologisch-therapeutischer Beziehung, grösstentheils nach eigenen Beobachtungen und Versuchen dargestellt. Herausgegeben von Dr. F. C. Naegele, 2 Bde. Berlin 1820. Bd. II. p. 5 ff.

quam orificium uteri tunc subibat, iam tum partum incepisse satis declarant. Neque omnino necesse est, ut alia quoque symptomata, e. gr. aucta temperatura et muci excretio vaginae et orificii etc. ad certam diagnosis statuendam respiciantur. ¹⁾ Itaque quamvis postea dolores quibusdam diebus minus frequentes et vehementiores essent, quod inprimis ab initio Novembris evenit, tamen nunquam diutius quam per X—XII horas intermittebant, et semper vim aliquam, etsi minimam et interdum pluribus demum interiectis diebus manifestam, in inferiorem uteri partem exercebant, quae quidem vis partus decursum paulatim progredientem indicabat. Quamobrem hic quidem partus neutiquam referri potest inter illos rarissime observatos, in quibus cuncta inchoatae parturitionis symptomata exstiterant, brevi autem rursus evanuerant, ita quidem, ut post plures demum dies adeoque hebdomades revera partus inciperet; cuius rei exemplum memorabile Wigand nobis enarrat ²⁾, cui alterum a John Chatto in Lond. Med. Gaz. for Octbr. Sptbr. 14. 1833. promulgatum ³⁾ et simile, in lecho- dochio Heidelbergensi mihi observatum, accedunt.

Iam ubi causam abnormitatis huius partus fontemque multiplicum, irregularium et morbosorum parturientis symptomatum, nobis observatorum, indagare studemus, difficultates nobis, ex mea certe sententia, haud exiguae offeruntur. Nequaquam enim novisse sufficiet, partus protractionem e debilibus et spasticis uteri contractionibus et pleraque cetera pathica symptomata ex

1) Cfr. Wigand l. c. Bd. II. p. 86 ff.

2) Hamburgisches Magazin für die Geburtshülfe, herausgegeben von Gumprecht und Wigand, Bd. I. p. 58 ff — Wigand, die Geburt des Menschen etc. Bd. II. p. 250 ff.

3) Jahrbücher der in- und ausländischen gesammten Medicin, von Carl Christian Schmidt. Jahrgang 1834. No. I, Bd. I. Heft 1. p. 52.

perversa quadam sensibilitate esse profecta. Quod si quis crediderit, is neque aenigma nobis propositum, solveret, nec curam institutam probaret.

Partum non a mechanica quadam, quae inter pelvim et foetus partes intercesserit, mala proportionem esse protractum, tam clare patet, ut ne uno quidem verbo ea res sit commemoranda.

Iam supra (p. 3.) exploratione accuratissima nulla vitia in organisatione partium ad foetum expellendum destinatarum, et nulla praesertim vitia in structura et textura inferioris segmenti uteri detegi potuisse significavimus. Ratio vero, qua tandem partus editus est, et conditio uteri in quinta partus periodo et in puerperio idem illud satis demonstrat.

Eos, qui adhuc obliquitatem uteri quoad situm causam etsi non plurimorum, tamen permultorum vitiosorum partuum ducunt, nec doctrina recta Boërii ¹⁾ neque experientia aliorum virorum, in observando liberorum ac integrorum, ab opinione sua revocari possunt, admonendos esse censeo, ventrem gravidæ aequaliter ubique fuisse extensum nec ullum eorum, quae inde ab Henrici van Deventero tempore in plurimis artis obstetriciae compendiis enumerari solent, uteri obliquitatum quatuor generum visu tactuque observari potuisse.

In ipso etiam foetu et partibus ad eum pertinentibus nullum repertum est vitium, in quod turbationis, inter parturitionis actum exortae, culpa debeat conferri. Fortasse autem cum aliqua probabilitate insolita liquoris amnii copia, quae hic aderat quidem, sed ante velamentorum rupturam non apparebat, et cuius ne suspicio quidem ob

1) Dr. Lucas Johann Boër's sieben Bücher über natürliche Geburtshülfe. Wien 1834. — Über das Unwahre der gemeinen Begriffe von Schiefstellung der Gebärmutter. III. Buch p. 75 ff.

ventrem mediocriter extensum priusoriebatur, partus abnormitatem partim certe procreavisse putari possit; quoniam inde non solum uteri debilitatem et contractionum satis vehementium inopiam, sed irregularem quoque earum cyclum nasci posse censent. ¹⁾ De cuiuspiam alius foetus partis abnormi conditione e. gr. de funiculo umbilicali, per se, aut per circumvolutionem nimis brevi, inter ipsum partum ne cogitandum quidem fuisse sponte intelligitur.

Itaque si neque a mala *mechanica* ratione, neque ab *organico* vitio partus abnormitas pendebat, nec foetus eiusque partes causae illius abnormitatis debent existimari, sola vis dynamica, ea quidem, quae nonnisi in matris corpore posita est, restat, unde irregularitates, inter totum partus decursum observatae, deriventur. Ex diversis, quae nasci possunt, irregularitatibus virium in unoquoque partu efficacium, illam hic omitemus, quam, vi expulsiva normam superante, Hyperstheniam, sive Hyperdynamiam, sive Hypertoniam uteri appellant. In nostro utique casu de parturitionis abnormitate agebatur, qua uteri contractiones quoad modum et vim legem non sequebantur; quas quidem contractiones dolores spasticos nominant. Facile illas proigui posse, magnamque ad eas dispositionem in gravida inesse, tam constitutione personae, quam convulsionibus in priore partu apparentibus, et molestiis haud dubie spasticis, iam pluribus hebdomadibus ante hunc alterum partum in abdomine ortis, satis comprobatum erat. Signa autem illius mali praecipua haec erant: irregularitas dolorum in typo et in periodicitate, quae exsistebant, evanescebant et cessabant; eorum nunc

1) cf. Carus Lehrbuch der Gynäkologie, 2te Aufl. Bd. II. S. 1504. — Dr. Carl Christoph Hüter die dynamischen Geburtsstörungen. Berlin 1830. p. 278.

longius, nunc brevius tempus; vis nunc vehementior, nunc minor, parturientem vexans; inconstans et variabilis modo in hoc, modo in illo uteri loco apparentia, quae et parturientis sensatione, et diligentis observatoris tactu visuque innotescebat; vires denique parvae interdum plane desinentes, in portionis vaginalis mutationem et dilatationem orificii exercitae. His accedit, quod et aliae partes, organo partuali propriiores, vel ab eo remotiores, dolorum ad partum participes erant, quae dolorum metastasis et propagatio in alia organa dici solet. Nam quum capitis dolor, tum maxime mentis animique defectus et convulsiones nihil aliud mihi esse videntur, quam, si Steinii verbis uti licet, „die „Wirkung eines momentanen Extravagirens der Geburtskraft und nach Vorstellung und Sprache Man-„cher ein Afficiren des Nervensystems“ ¹⁾, qua in re „das, was uns als summum movens et agens in partu „gelten muss“ ²⁾ verisimiliter in centrales partes systematis nervorum, in specie in cerebrum, reflectebatur. Neque dubito, quin angustiae spiritus nonnunquam or-„tae, dolores in mammis et femoribus, ex parte etiam vesicae urinariae affectio, insolita urinae excernendae ratio, huiusque generis alia, e spasticorum ad partum dolorum in formas alias translatione profecta sint, Steinio adstipulans dicenti „also gleichsam ein Tummeln „der Gebärkraft auf diesem Schauplatze der Erschei-„nungen gegeben habe.“ ³⁾ (Conferatur praeter com-

1) Periodische Versetzung der Geburtskraft auf Theile des Körpers, welche mehr und weniger von dem Uterus entfernt sind, so wie Erscheinungen und Folgen von solcher Versetzung. Von Professor Stein in Bonn. Im Journal für Geburtshülfe, Frauenzimmer- und Kinderkrankheiten von E. v. Siebold, Bd. VI. p. 364.

2) Stein, l. c. p. 375.

3) l. c. p. 367.

mentationem Steinii modo laudatam, ea, quam conscripsit Dr. Loewenhard Penzlaviae: „Ueber die Versetzung der Geburtsthätigkeit auf andere Organe, nebst einem Beispiele dieser Art“ in Sieboldii Journal für Geburtshülfe etc., fortgesetzt von Ed. Casp. Jac. v. Siebold, Bd. XI. p. 274. ff. — Hüter, die dynamischen Geburtsstörungen p. 477. ff. et p. 486. — Wigand, die Geburt des Menschen, Bd. I. p. 221. ff.)

Alia porro res, quae, sicuti equidem censeo, praecipue irregularium et spasticarum uteri contractionum testis erat, funiculi umbilicalis prolapsus exstitit. In nullo enim partu, nisi in eo, quem manibus instrumentisque admotis finire studemus, funiculus umbilicalis prolabetur, quamdiu uteri contractiones iusto cyclo retinentur, qua in re inferius uteri segmentum, inprimis isthmus, continuo haud dubie pariter arcet, atque antea inter ipsam graviditatem foetus partem praeviam ambit. Nonnisi tum, ubi haec uteri conditio inter graviditatem vel inter partum turbatur, ubi igitur eius contractiones in loco dicto vel desunt, vel iusto nimis debiliores sunt, quam illae, quae in partibus supra eum locum sitis, apparent, funiculi umbilicalis prolapsus non tantum fieri potest, sed etiam, aliis rebus adiuvantibus, inevitabilis evadet. Quam quidem rem, quantum mihi notum est, primus Cl. Naegele in praelectionibus suis academicis accuratius exposuit, eiusque sententiae nuperrime Michaelis iun. suam adscripsit. ¹⁾

Haud minus ea ratione, qua secale cornutum, die illo, quo tandem partus fiebat, praebitum, vires suas exercebat, dolores spasticos continuos adfuisse, com-

1) Cf. Naegele Lehrbuch der Geburtshülfe für Hebammen. 2te Auflage, Heidelberg 1833. §. 481. G. A. Michaelis, Abhandlungen aus dem Gebiet der Geburtshülfe. Kiel 1833. 2te Abhandlung. Über die Ursachen des Vorfalles der Nabelschnur und die Reposition derselben p. 261 ff. praecipue §. 8—12.

probari arbitror. Portio vaginalis tum quidem iam adeo laxa erat ac tam facile extendi poterat, et orificium adeo dilatatum, ut, si de sola Asthenia, et de contractionibus uteri, non satis efficacibus, nobis agendum fuisset, haud dubie vi, quam remedium in uterum exercebat, tam conspicua, finem propositum assecuti fuissimus. Nunquam sane equidem secalis cornuti vim specificam in organum partualem tam praesentem vidi, quam in illo casu; in quo id valde dolendum erat, quod secali cornuto non simul dolores ad partum, quoad modum ac cyclum, regendi ac constituendi virtus accedebat. Contractiones uteri, per aliquot horas paene assiducae, revera tetano similes erant, et maxime in portione vaginali observabantur, ubi eam spasmi formam procreabant, quam trismus uteri nominaverunt.¹⁾ Ubique manifesta Dysdynamia, vel sola, vel cum Adynamia seu Atonia uteri causa partus protracti est, nunquam ad secalis cornuti usum progrediendum esse puto, quamquam hoc ipsum nuperrime multi suadent. In utero enim, qui in uno vel in aliquot locis magis, quam in reliquis se contrahere proclivis est, adhibito secali cornuto illa proclivitas augeri et confirmari, ita spasmus progigni et crescere totusque parturiendi actus retardari et periculosior fieri videtur. Quae Wigandius²⁾ de usu Naphtharum in uteri spasmos dicit: „Diese schienen in den meisten Fällen den Zustand eher zu verschlimmern als zu verbessern. Es ist mir vorgekommen, als würde durch diese Naphthen blos die Thätigkeit des Uterus verstärkt, ohne ihr die eben bei den Krämpfen mangelnde, bestimmte und regelmässige Richtung zu geben. — So gross und erwünscht

1) Wigand, die Geburt des Menschen. I, p. 217. Hüter, die dynamischen Geburtsstörungen p. 235.

2) Wigand, l. c. Bd. I, p. 239 ff.

„also die Wirkung der Naphthen, und besonders der „Vitriolnaphtha, bei der blosen Wehenschwäche oder „Atonie des Uterus ist, so nachtheilig scheint sie bei „jedem Krampfstande zu seyn“ ea haud dubie multo rectius de secali cornuto dici possunt.

Quemadmodum usus secalis cornuti non apte factus testis est naturae mali in hoc casu removendi, ita alterius medicamenti, scilicet balnei tepidi, vis et utilitas novum, etsi minoris momenti, signum diagnosticum duci potest. Inde enim parturitionis alius prorsus status adductus est. Hilaritatis et suavitatis sensus, quem parturiens inter balneum percipiebat, regularitas, nunc in typo dolorum observata, spatium, vis et vehementia eorum, repentinus isque velox parturitionis post balneum progressus, ea cuncta balnei adhibiti efficaciam adeo testantur, ut nemo opportunam commutationem partus ab alia re effectam esse, credere queat. Cui vero alii huius balnei tepidi virtuti, quam eius antispasmodico effectui, prosperos illos successus adscribamus, integre et accurate rem intuentes? In spasticis omnino affectionibus uteri, quae e tali fonte, qualis in hoc casu erat, oriuntur, tepidum balneum praecipuum remedium est, quod arti praesto est, de cuius quidem virtute unusquisque medicus obstetricans iam satis erit persuasus. Attamen plura de hac re verba non faciam, satisfecisse putans, si ad Sundelini commentationem relegavero: „Vom lauen und warmen Wasserbade“ in eius materia medica¹⁾.

Denique alius quoque rei admonendum esse puto, quae et ipsa spasticas uteri contractiones adfuisse declaret. Dico enim de mutato foetus situ, inter partus decursum observato. Libenter quidem concedo, me

1) C. Sundelin Handbuch der speciellen Heilmittellehre, 2te Auflage. Reutlingen 1832. Bd. II, p. 86 ff.

argumentis certis probare non posse, caput ab initio revera fuisse praeivum, et postea demum ita foetum se vertisse, ut nates pedesque eius orificium attingerent. Nam contra hoc facile aliquis dixerit, in exploratione vaginae nos potuisse falli, quod eo magis animadvertendum esse mihi videtur, quia ipse Cl. Naegele, nos in prioribus explorationibus falsos esse censebat. At caput manumque iuxta illud sitam illo die (XXXI. Oct.), quo etiam Cl. Naegele et lechodochei obstetrix, in explorando exercitatissima, sibi persuadebant, caput et quidem eius cranium praeivum esse, tam manifeste tetigi, ut, me in diagnosi errore aliquo captum esse, nullo modo putem. Probabilior usque res illa apparet, si respicitur magna liquoris amnii copia, in quo foetus se movebat, foetus partis praeviae mobilitas, et varia, in qua illa pars observabatur, modificatio, quippe quae nunc inferior et manifesta, nunc et superior minus aperta, nunc sola, nunc una cum aliis partibus, nunc plane non tactui offerebatur. Caeterum talem situs mutationem et perfectam vel imperfectam versionem foetus inter partum irregularibus ac singularem quandam et proprium cyclum obtinentibus uteri contractionibus fieri posse, a plurimis concessum atque saepius iam observatum est. Mihi ipsi in aliquo casu in lechodochio Heidelbergensi rem illam veram esse, certissime cognoscendi occasio oblata est. In muliere enim Judaea, quarto gravida, quae, exeunte graviditate, ad usitatas explorationes adsciscebatur, plures meorum commilitonum una mecum quum per vaginae laquear, tum per orificium, circiter 1" patens, caput foetus praeivum tangebant. Sutura sagittalis, dextro eoque obliquo superioris pelvis aperturae diametro respondens, neminem latebat; fonticulum parvum quoque, versus sinistram et anteriorem regionem positum, accuratissime dignoscebam. Iam nocte sequente mulier doloribus ad

partum afficiebatur. Quum postero die mane velamenta multo liquore amnii repleta et admodum tensa essent, incerto tantum quaedam foetus extremitas praevia tangebatur. Nos quidem, qui parturientem priore die exploraveramus, non dubitabamus, quin manus esset, iuxta caput prolapsa. Sed haud parum obstupescēbamus, quum, velamentis cum vehemente sonitu ruptis, et liquore multo profuso, foetum pedibus ac podice praeviis edi cognosceremus. Ex quo igitur hos duos casus, in quibus vero magna liquoris amnii copia aderat, observavi, omnis de hac re dubitatio mihi sublata est. Relego ad partus historiam a Boërio relata¹⁾, ad observationem ab Oesterlenio communicatam²⁾, et ad ea, quae Wigandius de proximis causis plurimorum, a primordio abnormalium foetus situum docuit³⁾.

Iam si ex iis, quae adhuc disputata sunt, in dubium vocari nequit, quin in nostro casu de perversa sensibilitate in universum, praesertim vero de spasticis uteri contractionibus agi facillimum sane est dictu, quid genus fuerit illarum uteri contractionum? Illae neque uno eodemque tempore in toto utero aderant (quod si fuisset, sub tetani uteri forma exstitissent), neque tamdiu permanebant, ut pro tonicis haberi possint; nisi

1) Boër. Sieben Bücher über natürliche Geburtshülfe, p. 318 ff.

2) Heidelberger klinische Annalen, Bd. VI. 2tes Heft. p. 337 ff., quibuscum etiam commentatio: Über die geburtshülflichen Beobachtungen des Herrn etc. Oesterlen, überhaupt, und über einzelne darin zur Sprache gebrachte Lehrgegenstände insbesondere. Von G. W. Stein in Bonn." In Journal für Geburtshülfe etc. von E. v. Siebold, Bd. XIII. p. 1. ff. comparanda est.

3) Wigand, die Geburt des Menschen Bd. I, p. 305 ff. Bd. II. p. 107 ff. — cf. etiam Hüter, l. c. p. 230 ff.

forte aliquis eam uteri conditionem huc referat, quae secalis cornuli vi efficiebatur. Contra vero non solum breve singulorum dolorum tempus, eorum modo hic, modo illic a parturiente observata sedes, uteri fundi maior usque durities, modo sensibilis, modo non sensibilis, sed etiam mutatus uteri situs, nunc conspectus, nunc occultus, exigua portionis vaginalis participatio inter dolorum affectionem, et ex hoc genere plura probabant, clonicum spasmodum genus existisse, partialium quidem, in quibus aliud alio tempore uteri segmentum praecipue vehementer contrahebatur, dum alia segmenta harum contractionum aperte non participia erant¹⁾.

Quamquam igitur ob ea, quae allata modo sunt, in perversa uteri vi dinamica praecipuam partus protracti causam positam esse censemus, tamen asthenicam quoque, adynamicam, atonicam uteri conditionem adfuisse eamque cum dysdynamia coniunctam ad irregularitatem partus contulisse nequaquam negamus. Omnes praestantiores observatores et auctores adeo ambarum illarum rerum complicationem saepius occurrere fatentur, et discrimen etiam statuunt inter eam virium inopiam, quae vere adest et eam, quae tantum adesse videtur et ab impedita earum manifestatione proficiscitur²⁾. Vim autem utero in nostro casu defuisse, illa laxitas, quae in toto habitu, et inertia quaedam, quae in functionibus et motibus corporis cernebatur³⁾, porro raritas, qua irregulares dolores apparebant, et exigua denique vis, quam illi exercebant, comprobare videntur⁴⁾. Haud dubie vero se-

1) cf. Wigand, l. c. Bd. I. p. 216 ff.; Bd. II. p. 102 ff. — Hüter l. c. p. 230 ff. p. 211.

2) Hüter l. c. p. 265; p. 476; p. 485.

3) Hüter l. c. p. 113. Wigand, l. c. Bd. I. p. 92. sub 4.

4) Hüter l. c. p. 476.

cundas tantum partes in hac re Asthenia agebat, quamobrem in cura parturientis multo minus respiciebatur, quam Dysdynamia, et fortiori curae omnino repugnabat, quum secali cornuto eam removendi periculum factum esset.

Quae autem causa fuit illius spasticae uteri affectionis, ex qua partus longam protractionem et varias abnormales res, in parturiente observatas, prodiisse cognovimus?

Neminem futurum esse puto, qui nunc de natura et proxima causa spasmi omnino, et praecipue uteri spasmi a me disputatum iri speret. Illius quidem problematis explicationem speculativae Pathologiae perscrutationibus libenter permittentes, suffecisse putamus, si ad ea relegamus, quae in libro Wigandii „die Geburt des Menschen“¹⁾, et Hüteri „die dynamischen Geburtsstörungen“²⁾ de ea re tradita sunt.

Quoad remotiores causas iam supra nonnulla attigimus, a quibus partus protractio non orta est; quibus igitur neque affectionum spasticarum etc. origo culpae danda est. Admodum probabile videri possit, omnes, vel certe complures res, inter parturitionem conspectas, progenitas esse ab illa a Wigandio descripta „*Convulsibilität, krankhafte Empfindlichkeit des Uterus, Hysterie der Gebärenden*“, quam ille „als ein ächtes und wahres Nervenleiden“ per „eine gewisse krankhafte Stimmung des Nervensystems und besonders seiner Gefühlsseite“ effici putat. Cui vero sententiae equidem assentiri non possum. Parturiens enim nostra nec peradulescentula, nec eius corpus admodum tenerum ac molle erat, facies non ita alba et suavis (interessant), pulsus non celer, parvus et spa-

1) Wigand l. c. Bd. I. p. 62. ff. p. 217 ff.

2) Hüter l. c. p. 261.

sticus, animus non ita tristis; non a quoque vel minimo strepitu terrebatur, frequentes et claros sermones facile tolerabat, non omnia male intelligebat, nec aegre ferebat, inter somnum non saepe cohorrescebat, in intervallis dolorum non multum dormiebat; in explorationibus vaginalibus non magnopere sensibilis erat, eiusque orificium, ubi tangebatur, non dolebat. Praeque etiam cetera signa, quae Wigandius convulsibilitati uteri propria esse dicit, deerant; quae vero aderant, ab aliis abnormalibus conditionibus in corpore parturientis procreata esse putari possunt. Neque aliae remotiorum, hoc proprium uteri morbi genus progredientium ¹⁾, detegi poterant.

Duo mihi quidem momenta coniuncta fuisse videntur, quae abnormitates in partu inprimis procreant ideoque *remotior* spasticae parturientis symptomatum et retardatae atque impeditae parturitionis, inde ortae, causa existimanda sunt. Quorum momentorum alterum cernitur *quadam moventium partium systematis nervorum ad perversas virium manifestationes praedispositione, in corporis constitutione posita, innata, vel acquisita*, alterum vero *ea vasorum systematis affectione, quae, in eius venosa parte in universum, et praecipue in systemate venarum portarum nobis occurrebat, et morbus haemorrhoidalis apparebat*. Quibus quidem momentis illa mala inter sensibilitatem et irritabilitatem ratio effecta est, quae, sub spasmodum, convulsionum, animi defectuum, congestionum etc. forma prodibat, quum partus, illa gravissima in vita mulieris periodus, qua totius organismi perturbatio movetur, incepisset. Is etiam fons erat, ex quo illae abnormitates oriebantur, quae iam tum, quum persona primum partum ederet, apparuerant.

1) Wigand l. c. Bd. I. p. 167 f.

Quae si ita revera sunt, causa partus protracti magis in perversa duorum per totum corpus diffusorum systematum ratione, quam in topico malo uteri quaerenda erit. Neque hoc mirum videbitur iis, qui haec Wigandii verba vera existimant: „Perturbationen, Aberrationen des gebärenden Uterus — — „Abnormitäten der Wehenkraft, — — dynamische oder „Bewegungskrankheiten des Uterus — — Krankheiten „des Gebärgorgans, — — sind kein *bloss örtliches Leiden* dieses Organs, — — sondern es sind nichts als „*diejenigen Krankheiten der Gebärenden*, die sich „dem Uterus und der Mutterscheide in einem solchen „Grade mitgetheilt haben, dass diese dadurch in ihrer „Funktion mehr oder weniger gestört und also auch „krank werden mussten“ ¹⁾. Alia etiam eiusdem auctoris verba digna sunt, quae hic afferantur. „Wenn „wir auch zugeben müssen, dass jenes normale Verhältniss, welches bei der Geburt zwischen dem mehr „zurücktretenden Vaskularsystem und dem dagegen „lebendiger hervortretenden Bewegfasern- und Nervensystem nothwendig statt finden muss, gewiss in „den meisten Fällen, nach einer weisen und bestimmten Einrichtung der Natur, bereits vor der Geburt „im Uterus regulirt ist; so ist doch auch wohl nicht „zu läugnen, dass jene eigentlich *nur* und *allein* für „die Schwangerschaft und den Ernährungsprocess der „Frucht gesetzte Thätigkeit und Fülle des Vaskularsystems ziemlich oft auch als Folge eines übertriebenen, zu luxuriösen Lebens, auf den Akt der Geburt „selbst übergeht, und hier dann Ursache wird, warum „die Fasernschichten des Uterus sich nicht gehörig „zusammenziehen können“ ²⁾.

1) l. c. Bd. I. p. 34 f.

2) l. c. Bd. I. p. 116 f.

Omnino de vi illa, quam totus organismus et mutua singulorum eius systematum ratio in decursum partus et in functionem organorum, ad parturitionem proxime pertinentium, excercet, omnes paene ita consentiunt, ut singularia eius argumenta hic afferantur, non necesse sit.

In nostro quidem casu dispositionem ad spasmos in propria quadam nervorum systematis conditione ac ratione positam, exstitisse, non minus constitutio sensibilis, admodum manifesta, quam convulsiones, quibus mulier iam in primo partu laboraverat, demonstrant. Nihil refert, utrum haec nervorum systematis conditio Hysteriae, an alio nomine insigniatur. — Argumenta, quae turbationem in Haematosi, supra dictam, adfuisse doceant, adicere supervacaneum puto, praesertim propterea, quod morbus haemorrhoidalis, qui in prima graviditate evolutus esse videtur, ex iis, quae in anamnesi commemorata sunt, clare cognoscitur.

Num etiam id, quod Wigandius ¹⁾ describit, nempe „der vorzüglich auf abnormer Gefässsstruktur des Uterus beruhende Hämorrhoidalzustand der Gebärmutter“ exstiterit, nunc quidem certo diiudicare non audeo. Non equidem recorder gravissimum a Wigandio commemoratum symptoma pathognomonicum me animadvertisse, nempe: „die Unebenheit und knollenartige, „traubenförmige, mit dicken Schnüren besetzte, einer „Netz-Melone nicht unähnliche Form der Oberfläche „des Gebärmutterbodens;“ sed singularem eius rei cognoscendae curam me non habuisse profiteor. Contra vero alia nonnulla comparent, quibus quodammodo probabile sit, illam propriam uteri conditionem exstitisse. Huc secundum Wigandium refero, quod parturiens non peradulescentula erat, quod amans erat caf-

1) l. c. Bd. I. p. 140 ff.

feae, quod, coqua in divite et nobili familia, vitam luxuriosam degebat et diaetam sequebatur, in qua sanguinis in abdominis organis congestionibus valde laboraret necesse erat; quibus rebus accedebant praevalida in ceteris parturientis partibus venositas et haemorrhoidalis congestio, e. gr. varices in pedibus, amplae eaeque lividae venae in brachio, crassitudo ac tumor orificii uteri, multa denique alia incommoda, gravidam per plures dies et hebdomades ante partum excruciantia e. gr. magna in in urina reddenda molestia, alvus raro reddens et adstricta etc. etc.

Quamvis igitur argumenta satis firma afferri nequeant, uteri venas plus minusve varicosa degeneratione iam laboravisse, tamen non est, quod dubitemus, quin plethorica uteri et praecipue quidem eius venosae partis conditio, a haemorrhoidali congestione oriunda, ergo conditio talis, qualis *Stasis sanguinis et humorum in parenchymatis uteri* nominari possit, exstiterit. Symptomatibus modo allatis, quae hoc testantur, id insuper adiciendum est, quod ineunte graviditate quater adhuc menstrua proveniebant et lochiorum fluxus solito diutius perdurabat ¹⁾. Universalem praeterea plethoram accessisse, non est, quod pluribus comprobetur, si modo, praeter alia plura, crebrioris sanguinis e naribus et gingiva cursus, sanguinis in pectore ac capite congestionum, quae pluries venae-sectiones inter graviditatem eflagitabant, denique eius rei recordamur, quae et ipsa in parturitione venae-sectionem requirebat. Caeterum morbosam vasorum vim nimiam in imbecillis quoque et sensibilibus corporibus inter graviditatem saepissime occurrere, satis constat ²⁾.

1) Hüter l. c. p. 430.

2) Carus, Gynäkologie Bd. II. §. 1100.

Ubi igitur, sicuti spero, unusquisque plethoram, e morbo haemorrhoidali natam, una cum plethora universali exstilis, sibi persuaserit, peritum artis obstetriciae medicum non fugiet, ex hoc ipso malo remotius momentum causale eius abnormalis uteri conditionis proficisci potuisse, quam praecipuam turbati partus causam supra cognovimus. Complurium aliorum pathicorum phaenomenorum veram originem hac demum re satis certo investigari posse arbitrator.

Plethoram uteri saepe dolorum ad partum debilius causam existere et tum, Wigandio autore ¹⁾, atoniam uteri spuriam s. secundariam (scheinbare Atonie des Uterus) procreare, refelli nequit. Iam supra, atonicam quoque uteri conditionem partim partus protracti causam fuisse censuimus. Summi autem momenti hac in re, sicuti vidimus, uteri contractiones spasticae erant, quod ipsum abnormitatis genus a plethora haemorrhoidali uteri procreari posse, clarorum observatorum et autorum iudicio probatur. Inter alia Wigandii verba digna sunt commemoratione: „Die Bewegfasern „haben hier allenthalben mit den über ihr gewöhnliches „Lumen erweiterten Venen zu kämpfen, die sich als „solche nicht so leicht in die nöthige Configuration „fügen und begeben, als wenn sie dünner und schlanker wären. Dieser Widerstand von Seiten der Venen kann denn nun wieder Krämpfe im Uterus erzeugen, die dann vollends das Ihrige dazu beitragen, die Form und Stellung der ganzen Gebärmutter oder einzelner Segmente derselben zum Becken so abzuändern, dass das Kind dabei nicht geboren werden kann.“ ²⁾ — Porro: „Die Gebärmutterkrämpfe gesellen sich am leichtesten: a) zum Rheumatismus, b) zur

1) l. c. Bd. I. p. 59 ff.; p. 90; p. 107 f.; p. 131 ff.

2) l. c. Bd. I. p. 143.

„Convulsibilität und c) zum Hämorrhoidalzustande.“ ¹⁾ — Ubi Hüter de spasticis uteriurbationibus disserit, haec leguntur: „In andern Fällen ist die Reproduction im Uterus vorzugsweise gesteigert; alsdann ist derselbe mit Blut gewöhnlich so überhäuft, dass er seine Thätigkeit gehörig zu äussern gehemmt wird.“ ²⁾ — Porro: „Eine deutliche Verminderung der Receptivität des Uterus bemerkt man überdiess auch primär in jenem Falle, wo der Gebärmutterkrampf durch eine übermässige Entwicklung der reproductiven Thätigkeit hervorgebracht worden ist, besonders bei dem plethorischen Zustande der Gebärmutter.“ ³⁾

In universum tantum pathici effectus, quem, quae dicitur, plethora abdominalis in organismi sphaeram sensitivam habet, mentionem iniicio. Eam ipsam esse, quae saepe magno sensibilem nervorum systematis partem incommodo afficit, ideoque, ut causale momentum multifariorum Hypochondriae ac Melancholiae generum, medici curam et attentionem requirere, satis constat. Nec minus saepe mala eius vis atque incommodum ad sphaeram systematis nervorum quoad motus pertinet, ita, ut saepe plethoricum abdominis organorum statum et venosas stagnationes in systemate venarum portarum fontem variorum spasticorum morborum esse cognoscamus *).

1) l. c. Bd. I. p. 298.

2) l. c. p. 238.

3) l. c. p. 266.

*) Ita plurimae Hysteriae, quae in regione lacus Turicensis occurrunt, inprimis ex hac causa proficisci videntur, quae Caffae nimia potione et perpetuo domi, praecipue pone machinam textoriam, sedendo efficitur. Curam certe, quae illas res noxias ex Hystericis eius regionis remove spectabat, semper prospere successisse observabam.

Dolorem etiam illum, premendo crescentem, in superiore dextri lateris uteri segmento, de quo ultimo graviditatis tempore gravida querebatur, quique verisimiliter insertioni placentae respondebat, ab haemorrhoidali plethora uteri ortum esse putaverim. Quum aliquoties iam antea eum dolorem in gravidis, haemorrhoidibus obnoxiiis, mulieribus, tum ante plures hebdomades manifestissimum in matrona Turicensi observavi, in qua quidem tam continuus atque intensivus erat, ut, ne inflammatio, adhaesio et ex eo genere plura, placentae exstitissent, admodum metueretur; qui vero metus in partu inanis apparebat. Ille dolor in talibus casibus sane sedi placentae respondere, et, quamvis non ab ipsa varicosa vasorum degeneratione ibi, tamen ab ampliore certe eorum dilatatione et expletione cum sanguine per congestionem ad uterum, in illo loco praesertim auctam, originem ducere mihi videtur. Cuius rei analogon in iis dolorosis sensationibus inesse putaverim, quae saepenumero et spontaneae sunt, et praecipue, si vehementius premuntur, in aliis corporis locis, multis varicibus oppletis, e. gr. in pede, apparent.

Eodem modo vesicae urinariae, qualis in nostro casu erat, affectionem saepe cum haemorrhoidali conditioni gravidarum ac parturientium associatam esse constat. ¹⁾ (Etiam illa matrona Turicensis ea affectione laborabat.) Iam supra diximus, nos quidem hanc affectionem esse putare spasticorum ad partum dolorum extensionem ad vesicam urinariam. Sed quaeritur, num hac irregularis parturitionis aberratione illud ipsum organum affectum fuisset, nisi alia hos spasticos ad partum dolores causa progenuisset.

Postremo omnes quoque illas functionum tractus intestinorum turbationes, adversus quas inter totam par-

1) Hüter l. c. p. 246.

turitionem nobis pugnandum erat, cum morbo haemorrhoidali coniunctas fuisse recte putare possumus. Ne quis credat, illas non nisi solas contractae ac difficilis alvi evacuationes fuisse, quas saepissime cum graviditate coniunctas esse, et partim a pressione uteri in intestinum rectum, partim ab aucta uteri systematis functione, qua antagonistiche tarda intestinorum motio efficitur, proficisci novimus.¹⁾ Neque eae turbationes e diaeta perversa oriri poterant, quippe cuius ab initio statim ratio diligentissime habebatur. Utrum et quantum tractus intestinorum conditio ad parturitionis perturbationem contulerit, penitus explorari nequeat. Omnino quidem cum Oesterlenio aliisque rei peritis medicis a sordibus gastricis tam frequentibus parturitioni multa incommoda esse importata existimamus, neque in ea re fallimus, quippe qui illas sordes in parturiente nostra adfuisse, nobis habemus persuasum; sed noxiam vim, quae in aliis parturitionibus ab iis progignitur, in nostro casu vel non, vel minimam fuisse censemus. Nam haud dubie phaenomena pathica, inter partum observata, remotis sordibus, evanuisent, et hoc frequente evacuantium remediorum usu impetravissemus, nisi perturbationis digestionis organorum gravis, constitutionalis, qui dicitur, morbus, scilicet haemorrhoids, causa fuisset. Haec sententia ei tantum displicebit, qui vim et effectum, a sordibus gastricis in organa partualia exercitum, etiam tum, quum remotae essent, permansisse putet, eiusque rei analogon in Helminthiasi quaerat, in qua saepe, remotis Helminthibus, e. gr. spasmos ab iis procreatos, medicamentis antispasmodicis impugnare debemus.

Iam ubi ea omnia, quae adhuc dicta sunt, breviter comprehendimus, longae partus protractionis causam

1) John Burns Grundsätze der Geburtshülfe aus dem Englischen übersetzt von Kölpin. Stettin 1820. p. 254 f.

positam fuisse putamus imprimis in partialibus spasticis, partim etiam in lenioribus uteri contractionibus, quae, sicuti et alia in ea re phaenomena pathica, quum ab universali plethora, tum maxime a congestione haemorrhoidali uteri, fortasse etiam quodammodo ab abundantibus liquoribus amnii, vix autem a sordibus gastricis, ut a remotioribus causalibus momentis, adiuuvante simul praedispositione quadam ad spasmos, in constitutione corporis sita, procreabantur.

Quod ad curam in hoc abnormali partu adhibitam attinet, iamiam eam non facile alicui plane probatum iri, satis mihi persuasum habeo. Plurimi enim parum, paucissimi nimium, vix autem ullus iustum et rectum ab initio ad finem usque nos fecisse dicant. Neque vero hic curae a nobis adhibitae rationem defensurus sum, propterea, quod pars, quam equidem in illa habebam, multo minor fuit, quam ut vituperationem subire possem, ipsa vero probra nobis obiecta, sive iusta videantur, siye aperte iniusta sint, non a me, sed ab alio repellenda esse arbitror. Ceterum therapiam in partus turbatione, cuius causa in constitutione parturientis plane insita erat, nonnisi pure paliativam esse debuisse puto, quae quidem spectaret ad singula pathica symptomata, praecipue conspicua, removenda, inque eum finem talia remedia eligenda, quae, ipsi causae proximae morbi tollendae apta, viribus suis secundariis non iterum illam sustentarent.

Quapropter adversus perturbationes in digestionis organis emeticum, laxantia et Oesterlenii potus amarus adhibebantur, remedia narcotica et fortiora antispasmodica omittebantur et applicatio sinapismorum eo magis praeferebatur, quoniam ea semper celeriter ad optatum finem perducebat; quae res mihi persuadebat, in hoc convulsionum parturientium genere ab usu opii facile abstinere medicum posse, quod inter alios Stavenhagen

adhibebat.¹⁾ Contra vehementiores sanguinis congestiones ad caput et pectus venaesection instituebatur, quae, coniuncta cum methodo evacuante, plethoram universalem minueret necesse erat. — Quemadmodum secale cornutum, ad cuius usum fortasse plurimi iam multo prius, quam nos, confugissent, remedium plane non apte electum esse duco, ita balnei tepidi vis et effectus a nullo alio remedio superatus esse mihi videtur. Illud enim haud dubie sanguinem, in utero nimis abundantem, removebat, cum magis ad corporis peripheriam deducens, et ita impedimentum tollebat, quo uteri fibrae in normali contractione coërcerentur. Quum postea egregius balnei effectus apparuisset, sane dolebamus, quod non iam multo prius illius usus factus erat. Quod quidem si factum esset, fortasse a multis doloribus rebusque adversis parturientem liberavissemus, et, quominus laboriosa parturitio diutius permaneret, prohibuissemus. An vero contigisset, foetui vitam servare, quam ille funiculi umbilicalis prolapsu amisit, rectius negari, quam affirmari posse videtur. Conatus fortior ad illum servandum factus, ei, qui omnes difficultates, in illis rebus ortas, accurate respicit, plane non in loco fuisse appareat. Fortasse vero aliquis in eo delictum commissum esse dixerit, quod non orificii uteri arte dilatandi periculum factum sit, quum natura in hoc actu, ad accelerandum partum necessario, tam languidam atque inertem se praeberit. At, hac ratione inita, foetui vita, de mea sententia, non servata, sed, spastica uteri conditione continuante, mors multo prius illata fuisset. Num vero etiam tunc mater tam feliciter in puerperium, et tam bona valetudine e lechodochio venisset, valde dubito. Artificiose orificium uteri dilatare, in casibus talibus,

1) Meissner, Forschungen des 19ten Jahrhunderts im Gebiet der Geburtshülfe etc. Thl. I. p. 159.

qualis noster erat, summum nefas duco, et cum iis consentio, quae vir praeclarissimus, Boër, de hac operatione pluribus librorum suorum locis dixit, e quibus ea praecipue in animum imprimenda sunt, quae in Aphorism. XXXIII. libri V. disserit.¹⁾

Profecto, quo magis res iniquas et adversas earumque causas, quae in parturiente nostra impugnandae erant, considero, eo magis mihi persuadeo, facilem fuisse operam, nonnulla in cura alio modo facere, sed in medio etiam relinqui, num arte nostra tum aeque parum nocuissemus, quam pro rei statu parum manifeste et evidenter prodesse poteramus. Itaque nos primae certe, quam sana ars medica constituere debet, indicationi satisfacisse ratus, hanc commentationem his Boërii verbis finio: „Die erste Anzeige in allen geburtshülllichen, so wie in andern therapeutischen Handlungen ist: Nicht zu schaden; die zweite: zu nützen.”²⁾

1) l. c. p. 298.

2) l. c. p. 295.

THESES DEFENDENDAE.

- 1) E materia anorganica nunquam aliquid organicum nascitur.
- 2) Homo non mammale.
- 3) Falsa est Schilleri sententia: »Es ist der Geist, der sich den Körper baut.«
- 4) Circulatio sanguinis nulla.
- 5) Causa mortis nunquam febris.
- 6) Sine nervis nulla inflammatio.
- 7) Sine aucta vasorum actione nulla vulnorum reunio.
- 8) Cafficae usus quotidianus reiiciendus.
- 9) In curandis febribus intermittentibus Arsenicum China praestantius.
- 10) Somnus magneticus individui, quod dicitur Clairvoyant, non nisi inferior vitae status.
- 11) Arteritis universalis nulla.
- 12) Delirium tremens potatorum minime ad phlogoses referendum.
- 13) Gastromalacia a Gastritide infantum certo diagnosci non potest.
- 14) Vaccinatio, qua recentiori tempore magis malisque medici utuntur, condemnanda.
- 15) Glaucoma non morbus corporis vitrei.
- 16) Arteriarum ligatura torsioni non praeferenda.
- 17) Trepanatio ut remedium prophylacticum adhibenda.
- 18) Cataplasmata ad curam ulcerum atque abscessus lymphatici ceteris remediis externis praestat.
- 19) Post amputationes semper vulnera per primam intentionem sananda.

- 20) Femoris atque brachii per circulum amputatio illi per lobum anteponeunda.
- 21) Neque situs uteri obliquus, neque inclinatio pelvis Dy-
stokias efficit.
- 22) Sola inter caput foetus et pelvim proportio mala nun-
quam applicationem forcipis indicat.
- 23) Metrorrhagiarum ex placenta praevia ortarum, causa ante
parturitionis initium non in placenta solutione posita est.
- 24) Ars obstetricia solis viris exercenda.